

videamus in proximo diem vocationis nostræ, et ita aptemus nos ut securi eamus ad iudicium; quia recepturi sumus sine dubio, prout gerimus in hac vitæ, sive bonum sive malum. Deus junxit nos in hac vita: faciamus ut simul nos jungat in æterna vita, et ibi videamus prolem nostram, quam sibi Deus jam assumpsit. Hæc sint studia vestra, hæc sollicitudo, hæc suspiria vestra.»

Vis exemplum magis patheticum et vivum? Accipe: S. Joannes Eleemosynarius, ut novissimorum semper recordaretur, sepulcrum sibi exstrui, sed imperfectum relinqui curavit, ac monitorem statuit, qui diebus festis sibi coram omnibus diceret: « Monumentum tuum in hodiernum usque diem est imperfectum, domine: jube ergo ut id finem accipiat; incertum est enim qua fur ingrediatur, » nempe mors. Hæc cogitatio ad tantas eleemosynas eum exstimulavit. Ita Leontius in ejus Vita. Idem fecit Theodosius cœnobiarcha, cuius Vita exstat apud Surium die 11 januarii.

S. Rembertus Archiepiscopus Bremensis, ut habet ejus Vita, dicitabat primam Philosophiæ definitionem esse meditationem mortis. Hanc ergo jugiter præmeditabatur, et ad eam se disponebat, ut impleret illud Sapientis: « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Ubi enim non est timor mortis, ibi est dissolutio vitæ; ubi vero dissolutio vitæ, ibi peccatorum abundantia; et ubi hæc, ibi perditio animæ. Timor enim semper emendat, tollit securitatem, parit sollicitudinem, superbiam dejicit, humilitatem nutrit, charitatem auget et virtutes multiplicat. Celebris est sententia S. Hieronymi: « Facile contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum. » Et illa: « Sive comedo, sive bibo, sive studeo, sive quid aliud ago, semper ultima illa tuba insonat auribus meis: Surgite, mortui, venite ad iudicium. »

Noster B. Franciscus de Borgia dicitabat boni

viri, præsertim Religiosi, exercitium esse quotidie per 24 horas se præparare ad mortem; quodque ipse tunc recte constitutus erat, quando quolibet die dicere poterat cum S. Paulo: « Quotidie morior. » Ita Ribadeneira in Vita ejus, lib. IV, cap. v. Denique S. Job, cap. XIV, 14: « Cunctis diebus, ait, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. »

Idem fuit sensus Gentilium. S. Maximus, *serm.* 36, narrat Musonium interrogatum quis optime extremum diem clauderet, respondisse: « Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit. » Plato, uti jam dixi, censuit, « omnem sapientum vitam esse meditationem mortis. »

Apud Ægyptios in solemnibus conviviis unusquispiam cadaver ligneum quam proxime ad verum effectum, convivis singulis ostendens, dicebat: « In hunc intuens, pota et oblectare, talis post mortem futurus; » licet quo fine hoc fecerint, sit ambiguum. Testis est Herodotus, lib. III.

Aristippus in maris tempestate expallescens, ea sedata, cum ei quidam insultaret: « Cur vos, Philosophi, qui prædicatis mortem non esse formidandam, expallescitis in discrimine, nos indocti non timemus? Quoniam, inquit Aristippus, non de pari anima tibi mihi que cura est ac metus. » Addit Gellius eum dixisse: Ego timeo animæ Aristippi, tu non times animæ nebulonis. » Ita Laertius lib. II, cap. VIII.

Secundus Philosophus, teste eodem Laertio, rogatus ab Adriano Imperatore quid esset mors, respondit: « Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium. » Denique Seneca in *Proverbiis*: « Omnis dies, inquit, velut ultimus ordinandus est. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

rosequitur argumentum capituli præcedentis, quomodo scilicet quis prudenter se cum proximis gerere debeat, sed circa alia hominum genera. Rursum cap. præced. docuit quid proximo cuique præstari debeat: hic vero et sequenti, quid non præstari. Primo ergo docet non esse litigandum cum potente. *Diserte*, linguato, indocto; secundo, vers. 6, docet non esse spernendos peccatores penitentes, nec senes, nec inimicos mortuos; tertio, vers. 13, docet non esse reprehendendos peccatores obstinatos, contumeliosos, fortiores, iudices, iracundos, audaces; quarto, vers. 20, docet consilium non esse ineundum cum fatuis et extraneis. Summa, totum fere caput suadet pacem et tranquillitatem vitæ, ejusque obices et impedimenta indicat et dissuadet.

1. Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. 2. Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi. 3. Multos enim perdidit aurum ei argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit. 4. Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna. 5. Non communices homini indocto,

ne male de progenie tua loquatur. 6. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes in correptione sumus. 7. Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. 9. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbii eorum conversare: 10. ab ipsis enim discere sapientiam, et doctrinam intellectus, et servire magnatis sine querela. 11. Non te prætereant narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis. 12. Quoniam ab ipsis dices intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum. 13. Non incendas carbones peccatorum, arguens eos: et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. 14. Ne contra faciem stes contumeliosus, ne sedeas quasi insidiator ori tuo. 15. Noli fœnerari homini fortiori te: quod si fœneraveris, quasi perditum habe. 16. Non spondeas super virtutem tuam: quod si sponderis, quasi restituens cogita. 17. Non iudices contra iudicem: quoniam secundum quod justum est, iudicat. 18. Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit, et simul cum stultitia illius peries. 19. Cum iracundo non facies rixam, et cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis; et ubi non est adiutorium, elidet te. 20. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent. 21. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. 22. Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam, et convicietur tibi.

PRIMA PARS CAPITIS.

CUM QUIBUS NON SIT LITIGANDUM.

1. NON LITIGES CUM HOMINE POTENTE, NE FORTE INCIDAS IN MANUS ILLIUS. — Pro *litiges*, græce est *ἀσπάζομαι*, quod significat certare, tam verbis quam verberibus, puta tam litigare quam pugnare. Insipiens enim est, qui cum potentiore se contendit, sive lite forensi, sive pugnis vel armis, quia certum est periculum, quod illi succumbet, et in ejus laqueos incidet, ab eoque vincetur et proteretur. Unde Tigurina, puta Vatablus, vertit, *ne concertes cum homine potente*; Syrus vero, *ne converseris cum homine qui est asperior te, ne forte incidas in manus ejus*. Huc facit proverbium Latinum: « Hinnulus leonem, » supple provocat; imo, si sapit et sibi consultum velit, ne provocet ad litem vel duellum.

Parallelæ Siracidi sunt aliarum gentium et sapientum sententiæ. Celebris est illa Alcibiadis: « Cum licet fugere, ne quære litem. » Et illa S. Gregorii Nazianzeni in *Distichis*: « Ut peritus gubernator tempestates, quoad fieri potest, devitat, sic sapiens animus gravia omnia et periculosa. » Lis autem omnis gravis est et periculosa, sed maxime ea quæ cum principe vel potente suscipitur. Nam, ut ait Seneca in *Proverbiis*: « Tempestas grandis est indignatio regis. » Arabum est adagium, *Centur.* 1, num. 2: « Ne jace sagittas in idolum ferreum, » id est, ne jace verba

tua in eum qui fortior te est; « neque obsiste adversarius illi qui tibi præpollet. » Sagittæ enim in idolum ferreum jactæ illud non transfigunt, sed resultantes jacentem potius lædunt: sic potentes imbecillorum conatibus non læduntur, sed eos potius in ipsos retorquent. Cato in *Distichis*.

Cede locum læsus fortunæ; cede potenti: Lædere qui potuit, poterit quandoque juvare.

Præclare Nazianzenus in *Tetrastichis*:

Non obtinere cuncta, nec semper, stude.
Bene vinci ames plus, improbe quam vincere
Athleta nam non vincitur, quisquis jacet
Humi; sed hostem sæpe sternens dejicit.

Elegans hac de re exstat apologus leonis vulpis, apud Gabriam, aliosque mythologos: « Amicitiam, inquit, quodam tempore junxere inter se leo, asinus, vulpes, atque ita communiter venatum exiere. Copiosa autem præda parta, jubet asinum leo illam dividere; qui similiter in tres æquales partes distribuens, sorte putabat decerni oportere, quid quisque deberet sumere. Ob hæc leo ira commotus in asinum irruit, et dilacerat, atque devorat miserum. Tum vulpem dividere jubet. At illa, in acervum congestis um-

versis, sibi exemit parvulam portiunculam; atque hanc justam divisionem esse dixit, ut leoni, cujus non solum auspiciis, sed etiam laboribus omnia essent quaesita, plurima extra sortem cederent. Cui leo: Quis te, inquit, optima vulpecula, tam scite partiri docuit? Asini, respondit vulpes, mi leo fortissime, asini socii nostri casus. » Similis est apologus Phædri, lib. I *Fabularum*, cap. v: « Vacca, inquit, capella, ovis et leo in venatione cepere cervum, quo in quatuor partes diviso, dixit leo:

Ego primam tollo, quia nominor leo;
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me sequatur tertia;
Malo afficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Affabulatio:

Nunquam est fidelis cum potente societas.

Ex hoc apologo dicta est leonina societas, cum omne commodum ad unum redit, reliquis vi fraudatis, qualis solet esse plebeiis cum præpotentibus. Exstat in *Pandectis*, in quibus ex Ulpiano refert Aristo, Cassium respondisse societatem talem coire non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret, et hanc societatem leoninam solitum appellare. Similem apologum ollæ et cacabi assignabit Siracides, cap. XIII, 3. Accedit quod sicut cameli (et elephantis) bibituri prius pedibus turbant aquam, ne in limpida videant suum gibbum et deformitatem. « Cameli bibunt, ait Plinius lib. VIII, cap. XVIII, obturbata conculcatione prius aqua. » Sic potentes sua auctoritate, famulatu, clamoribus, minis, turbant rei narrationem et veritatem, ne eorum causa iniquitas, tyrannis et fastus appareat. Frustra ergo cum eis litigas, qui aquam veritatis et justitiæ, limo clamorum et mendaciorum conturbant et obscurant, ut quod æquum justumque est, cerni nequeat.

Quare cum potente litigare, idem est quod cum igne belligerari, cum ignem lædere nequeas, sed certe ab eo lædendus sis et urendus: idem est ac si pusio Herculem, canis leonem, lepus lupum provocet ad duellum, quo, scilicet, ipse cædatur, lanietur ac devoretur. Quid stultius? Quocirca Favorinus sapienter cessit Hadriano imperatori, cui tamen erat infensissimus. Rogatus causam dixit: « Quidni cedam ei qui viginti tenet legiones. » Ita Alianus in *Varia Histor.* Et Artaxerxes Aclidæ dicaci dixit: « Tibi quidem licet, quælibet in regem proloqui; mihi vero non tantum proloqui, sed et efficere. » Augustus in Polionem fescenninos scripserat ludibrii causa. Tum Pollio: « At ego, inquit, taceo; non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere, » uti idem proseripsit Ovidium, et Ciceronem dedit Antonio occidendum. Demosthenes multa dixerat in Alexandrum: quidam ergo eum corripuit hoc versu Homeri *Odyss.* «:

Cur libet irritare virum, miserande, ferocem?

Radix et causa est, quam assignat Aristoteles lib. II *Polit.* cap. v, ex eaque civitatem et rempublicam ita ordinat et disponit: « Improbitas, inquit, hominum insatiabilis est: et primo quidem sufficere dicunt pauca atque minima; mox vero ubi illa sunt consecuti, plura appetunt semper, quousque in infinitum procedant: infinita est enim cupiditatis natura, ad ejus expletionem plurimi vivunt. Horum igitur principium est, magis quam patrimoniorum executio, civitatem sic instituere, ut boni quidem viri plus quam sibi competat, habere non quærant; improbi autem, et si quærant, habere non possint; hoc autem fiet, si inferiores sint, nec injuriam patiantur. »

Symbolice, homo potens est ratio et lex; hæc potens est, quia omnes per obligationem sibi subditos habet, et prævaricantes potenter punit: ne ergo in manus et vindictam ejus incidas, noli cum ea litigare, sed ei consenti et obedi juxta consilium Christi *Matth.* v, 25: « Esto consentiens adversario tuo, cito dum es in via cum eo; ne forte adversarius tradat te judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. » Mystice enim « adversarius, » græce ἀντίδικος, id est accusator, vel actor contra reum, est Dei lex, inquit S. Augustinus lib. I *De Sermonibus Domini in monte*, Anselmus et Beda in *Matth.* v. Via est vita præsens, judex Christus, minister diabolus, carcer infernus vel Purgatorium, quadrans minima culpa: quamquam ad litteram, ut recte ibidem docent S. Hieronymus, Ambrosius, Hilarius et auctor *Imperfecti Operis*, adversarius sit is qui a quopiam est offensus injuste, et læsus, qui nos coram Deo reos peragere potest, cui proinde paulo ante Christus jussit nos reconciliari. Eidem recte attribuas hoc Siracidis: « Ne litiges cum homine potente. »

2. NON CONTENTAS CUM VIRO LOCUPLETE, NE FORTE CONTRA TE CONSTITUAT LITEM TIBI. — Græce, ne forte constituat contra te pondus, puta litem, quæ te quasi pondus gravet et opprimat, sive quia testes et iudices pecunia corrumpet, ut contra te judicent; sive quia litem ex lite seret, ut expensis et molestiis par non sis. *Secundo*, Jansenius pondus hoc sic explicat, q. d. Ne forte suis divitiis te prægravet in judicio, et etiamsi jure non vincat, sua tamen pecunia efficiat ut meliorem causam habeat. Sumpta est similitudo a bilance, in qua altera pars opposita atque librata sua gravitate vincit, et alteri præponderat; sic enim in lite pars potentior, quia plus potest, sæpe alteram vincit, non jure, sed ære. Unde Tigurina vertit, ne contendas cum homine opulento, ne se ex adverso librans pondus tuum eleve; vel, ne tibi præponderet; Syrus, ne forte appendat (appendendo sua gravitate elevet) pondus tuum; tertio, statubus vertit, ne tibi

pondus apponat q. d. Ne tibi difficultatem insuperabilem quasi loriceam ferream objiciat. Alii, ne quando pondere te prægravet, ne, scilicet, pondere litium et molestiarum te premat et opprimat. Exemplum appositum dat Palacius: Sicut lupus, inquit, qui jejunos in pugna et duello impar est tauro, ante duellum vorat arenam, ejusque pondere se gravat et saburrat, ac saburratus taurum degravat et prosternit: ita causa divitis jure levior, ære fit gravior. Quare, si jejuna judicem aggreditur, vincitur; si saburrata auro, ad se jucem trahit et prosternit. Unde sequitur:

3. MULTOS ENIM PERDIDIT AURUM ET ARGENTUM, ET USQUE AD COR REGUM EXTENDIT (scilicet, suam perendi vim et efficaciam) ET CONVERTIT, — id est, et pervertit, q. d. Aurum sua specie et fulgore inflectit et pervertit etiam corda regum, qui eo non egent, ut propter aurum, divitem præferant pauperi, et pro divite sententiam, licet iniquam, proferant; quanto magis aurum inflectet et pervertet corda testium et judicum tenuiorum, ut contra æquitatem causam pauperi adjudicent, et diviti adjudicent! Syrus, quia multos perdit aurum, et etiam cor regum insanire facit; Græcus, aurum enim perdidit multos, cordaque regum pervertit. Multi enim propter aurum perdunt conscientiam, ac sæpe famam et vitam. Pecuniæ enim obediunt omnia. Et: « Munera excecant oculos sapientum, et mutant verba justorum, » *Deuter.* XVI, 19. Celebre est ænigma:

Mutnegra cum murva faciunt rectissima curva.

Nimirum, *mutnegra*, si retrogrado ordine litteras colligas, est *argentum*; *murva* est *aurum*. « Auro enim loquente, omnis sermo obmutescit. » Et: « Validius pugnatur aureis hastis, quam æreis vel aereis. »

Fabulantur Poetæ Herculem Cerbero offam medicatam in os injecisse, itaque illud clausisse ne latraret: sic qui offam auri iudicibus in os injiciunt, illud claudunt, ut obmutescant, nec pro paupere et justitia judicare audeant. Nam, ut canit Horatius, libro III, *Ode* 16:

Aurum per mediõs ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
ictu fulmineo.

Sicut enim fulmen sternit dura quæque, ita aurum quasi fulmen sternit justorum etiam et robustorum corda, ut danti illud causam adjudicent, etiam contra fas et æquitatem.

Excipe hic casum unum, quando, scilicet, ipsi divites et potentes adeo sunt modesti et justii, ut non modo non ægre ferant, sed et cupiant litem sibi noveri a pauperibus, qui se opprimi querunt. Qua in re excellunt reges Hispaniæ, qui, ut justitiæ et conscientiæ suæ consulant, tribunal justitiæ summum erexerunt, illique se quoque subjecerunt, ac plebeio cuique dant facultatem

tem vocandi in jus regem regiosque officiales, sicubi eis vis vel injuria facta sit; quare tunc habere contra potentem litigari potest; imo rex ipse gaudet se condemnari, ut justitiæ et plebeio injuriam passo satisfiat. Utinam hoc cæteri reges et principes imitentur! quot enim a principum ministris extorsiones fiunt, principibus ipsis invisilis, imo insciis, de quibus nemo queri audet, quia non habet liberum tribunal, in quo de iis queri, et jus suum repetere possit? De quibus merito lamentatur Habacuc, cap. I, 4: « Lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium; quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur iudicium perversum. » Et vers. 14: « Quare taces devorante impio justiore se? et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. » Ut sicut piscis major devorat impune minorem, et animal potentius opprimit infirmius, ut lupus ovem, leo equum: sic homo potentior et ditior prædetur plebeium et pauperem, ait ibidem S. Hieronymus.

Quocirca Babylonii, id est, mundani omnes, quibus dominatur opum et avaritiæ confusio, adorant auream statuam Nabueodonosoris, *Daniel.* III; soli tres pueri Hebræi, quia magis timuerunt Deum quam regem, illam adorare noluerunt, ideoque in fornacem ardentem conjecti, illasi in ea perstiterunt. Qua de re præclare S. Chrysostomus, homil. 5 in *Matth.*: « Aurea, ait, imago proposita est pecunia, in qua tyrannica quædam mammonæ formatur effigies, et ad serviendum sibi cupidorum corda sollicitat; sed nequaquam nos aut sonitus tubarum, aut citharæ concentus, aut reliqua divitiarum incentiva commovent, ut imaginem adoremus avaritiæ, sed, etiamsi ardentem fornacem intrare cogamur, paupertatem dico, eam tamen et inter ignes positi diligamus. Tunc enim nos in medio flammaram blanda circumdabit roris aspersio: ne igitur pauperiei fornacem horrescamus. »

4. NON LITIGES CUM HOMINE LINGUATO (S. Augustinus in *Speculo* legit, *linguoso*), ET NON STRUES IN IGNEM ILLIUS LIGNA, — q. d. Si litiges cum linguato, perinde facis ac si ligna igni suggeras; accendis enim ejus ardorem loquendi et vindicandi se. Noli ergo cum eo contendere, quia contendendo non superabis, sed magis concitabis ejus loquacitatem: *linguatus* enim dicitur loquax, dicax, mordax, effrænis, qui bilis flamma succensus plaustra injuriarum eructat, estque instar canis, qui irritatus latrare non cessat. Syrus, ne litiges cum viro contentioso, et ne ponas super ignem ligna, quia, sicut princeps est potens robore, dives ære, sic linguatus pollet lingua. Quare, uti cum illis non esse litigandum docuit vers. 1 et 2: sic et cum linguato non esse certandum docet hoc versu. Linguatus enim verbis et clamoribus strepit et crepitat instar lauri virentis igni impositæ. Unde illud Diogenis: « Magis vociferatur, quam laurus viridis incensa. » Hinc et adagium: « Insana lau-

rus est, » dici solitum in rixarum auctorem, qui quocumque se vertit, lites suscitatur. Ortum habuit ex illo quod scribit Plinius, lib. XVI, cap. XLV: « Eius (Bebriensis regis) tumulus a supremo die lauro tegitur, quam insanam vocant; quoniam si quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiant, donec abjiciatur. » Verum hoc superstitionem olet, uti et illud quod scribit lib. XIX, cap. VII: « Ocimum cum maledictis et probris serendum præcipiunt, ut lætius proveniat. » Plura abet similia de remediis morborum, deque herbarum et gemmarum virtutibus superstitione, lib. XXVIII, cap. I, II et seq., et alibi.

Huic simile est illud Catonis:

Contra verbosos noli contendere verbis;

et illud Arabum, *Centur.* 4, num. 28: « Ne scalpito (Pythagoras dixit, *ne fodito*) ignem gladio, » id est, loquacem et iratum contendendo noli irritare: sicut enim prunæ, quamdiu relinquuntur, placidæ sunt, suisque cineribus ardorem suum tegunt; quamprimum vero contractantur et fodiuntur, ignes ostentant, vim scintillarum evomunt, ac in apertam flammam tandem erumpunt: sic loquaces et iracundi, quamdiu soli et intacti vivunt, malitiam suam cohibent et tegunt; mox vero ut tanguntur, oculis scintillant, nare fumum, ore ignes ejaculantur. Et *Centur.* 4, num. 25: « Qui non dat lignum ad ignem, impedit illum, quo minus exardescat, » id est: « Qui pudent ob verba scandali, impedit iram, ut non inflammetur. » Verba scandali vocantur, quæ quis ira percitus in aliquem evomit. Qui enim reprehensus, aut probro affectus pudore suffunditur, nec se contententi et exprobranti opponit, iram ejus cohibet, et velut frigida injecta ignem restinguit. Qui vero responsat verbis acerbis, quasi lignis iram accendit et inflammat, juxta illud *Proverb.* XXVI, 20: « Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, et susurrone subtracto jurgia conquiescent. Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitatur rixas, » *q. d.* Ira est instar ignis; ignis autem alitur crescitque pabulo. Igitur, sicut ignis pabulum connaturale sunt ligna: sic iræ propria fomenta sunt iratorum jurgia, detractiones, dieteria et maledicta. Vide S. Basilium, *homil.* 21, et in varios Scripturæ locos, ac S. Chrysostomum *hom.* 29 *ad Populum*, ubi ait: « Feræ potius quam homini iracundo cohabitandum est: hæc enim semel mansuefacta suam servat legem; illum etiam quoties mitigaveris, rursus efferatur. »

5. NON COMMUNICES HOMINI INDOCTO (Græce, *ne colludas*, id est *ne converseris*, *ne familiaris sis*

jocando et colludendo cum *ἀναδωρῶν*, id est indoctino, qui sub virtutis ferula, puta sub disciplina et castigatione præceptorum et morum non fuit, in eoque non didicit virtutem, ideoque practice est indoctus, ut vertit Noster), NE MALE DE PROGENIE TUA LOQUATUR, — ne si quid maculæ progenies tua occultum habet, ille proferat in lucem; solent enim tales esse libertini et arrogantes, ideoque sua magnificare et laudare, aliena parvi pendere et vituperare: quare effrænis iste colludendo effutiet id quod habet in pectore, teque et tuos parentes, vel de vilitate prosapiæ, vel de paupertate, vel de rusticitate, aliove vitio, vel scelere taxabit, itaque te vilipendet et infamabit, ac lites et jurgia concitabit. Græca habent, *ne infamentur*, vel *ignominia afficiantur progenitores tui*, scilicet per imprudentiam et arrogantem loquacitatem indocti, qui jocorum jura nescit, uti explicat Noster. Alii tamen id accipiunt de afflictione vitiorum et morum, *q. d.* Ne communices cum indoctino, quia si communices, discas et induas perversos ejus mores, atque ignominia afficies te et tuos parentes. Aliter hæc vertit Syrus, *ne litiges cum arrogantibus*, *ne probro te afficiant viri graves*, *q. d.* Ne arrogantibus communices, vel colludas, scilicet in salsis jocis et irrisionibus, ut sit idem quod, « ne litiges » Solent enim loquaces et dicaces jocosis salibus et scommatibus alios impetere, quibus dum alii paribus dieteriis respondent, jocus in litigium vertitur: nam omnia præcedentia hic spectant litigium. Sicut ergo jussit vers. 1, 2 et 3, ne quis litiget cum potente, divite et linguato: sic hic jubet, ne litiget cum indoctino et arrogante. Et hic videtur esse germanus hujus loci sensus. Ex hoc enim litigio sequuntur probra mutua, quibus invicem obijciunt et vilitatem, et crimina prosapiæ et parentum, quæ merito improbant et damnant viri graves. Sicut enim fragum serit fragum, sic scomma serit scomma, risus risum, contumelia contumeliam, lis litem. Sic ludere pro litigare, imo pro bellare et duellare sumitur, II *Reg.* II, 14: « Surgant pueri et ludant, » id est duellant, ut patet ex sequentibus. Sic Ismael lusit cum Isaac, eum ridendo, vexando et persequendo, uti explicat Paulus *Galat.* IV, 29. Sic denique canes ludunt cum leporibus, aucupes cum avibus, mures cum felibus.

Hujus rei typus est sal, quod est symbolum sapientiæ: sicut enim sal non communicatur cum igne, sed in eum injectus obstrepit et crepitat, eo quod in se contineat aquam salsam igni insulso contrariam: sic pariter sapiens non convenit cum insulso et insipienti, quia illius sapientiæ hujus insipientiæ obstrepit et adversatur.

SECUNDA PARS CAPITIS,

QUA DOCET NON ESSE SPERNENDOS PECCATORES, SENES, ET INIMICOS MORTUOS.

6. NE DESPICIAS HOMINEM AVERTENTEM SE A PECCATO, NEQUE IMPROPERES EI (peccata commissa, de quibus jam pœnitentiam subdit): MEMENTO QUONIAM OMNES IN CORREPTIONE (perperam legunt multi, *in corruptione*) SUMUS. — « In correptione, » id est, in peccato; ob peccatum enim digni sumus correptione et reprehensione. Est metonymia; ponitur enim effectus pro causa. Sensus est, *q. d.* Noli despiciere peccatorem penitentem, eique exprobrare peccata præterita, quia et tu peccator es, adeoque omnes peccatores sumus, dignique reprehensione. Unde Syrus, *ne exprobreres homini, qui pœnitet de peccatis suis: memento quod omnes nos peccavimus*; Tigurina, *homini a peccato recedenti probrum ne objicias, sed memento nos omnes esse in crimine*; alii, *in culpa*, ut juxta cum Sanctis humiliter confiteri et dicere debeamus, *mea culpa*. « Omnes enim peccaverunt et egent gloria, » id est gratia « Dei, » *Roman.* III, vers. 23. Sicut ergo Christus suscepit benigne S. Magdalenam, S. Petrum, S. Paulum, S. Mattheum, Zachæum, cæterosque publicanos et peccatores: sic multo magis nos, qui æque vel magis sumus vel fuimus peccatores, eosdem benigne excipere, solari, fovere et juvare pro viribus debemus, juxta illud Pauli *Galat.* VI, 1: « Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Vide ibi dicta. Siracides a litigio descendit ad contemptum; hi enim affectus vicini sunt. Sicut ergo docuit cum quibus non sit litigandum: sic jam docet qui non sint contemnendi, esto contemptibiles esse, aut contemptum mereri videantur, quales sunt peccatores, senes, inimici mortui.

Ita hunc locum explicat S. Basilium in *Psal.* XIV, vers. 3: « Neque enim, inquit, qui peccat, probro venit insectandus, ut scriptum est: Ne exprobreres homini avertenti se a peccato (qui locus est Nostri hoc cap. vers. 6.): nunquam enim ad delinquentium utilitatem novimus esse a quopiam assumptum; nam, cum Apostolus in suis ad Timotheum discipulum institutionibus, præmiserit redargutionem sive reprehensionem, obsecrationem simul et increpationem; nusquam tamen assumit opprobrium, quod fraternæ correctioni adversetur. Sane reprehensio, sive redargutio videtur sibi finem præstituisse emendationem peccantis; contra opprobrium ejus magis qui peccavit, spectat confusionem. » E confusione autem

nascitur, ut excandescens ira correctus in corrigentem insurgat.

Porro, quia multi codices legunt, *quoniam omnes in corruptione sumus*, hinc istud apposite sic explicat Palacius: « Ut corpus nostrum, inquit, semper tendit ad corruptionem: est enim in eo materia, quæ semper machinatur maleficium; ita anima nostra sibi relicta tendit ad malum, quia cuncta cogitatio humani cordis intenta est ad malum, ut in Genesi dicitur. Hinc tria collige primum, tu qui improperas avertenti se a peccato, mereris propterea tibi relinqui: at relictus tuæ corruptioni, peccabis; secundum, minime mirari debes, si frater tuus corruptionem secum ferens labatur; tertium, multum amare debes, si se a sua corruptione divellat. » Verum genuina lectio habet, *in correptione, non corruptione*: hanc enim significat Græcum *ἐπιτιμῶν*, id est castigatio, increpatio, item ultio, mulcta, pœna, supplicium, cujus nos reos et obnoxios facit culpa et crimen: itaque legunt Biblia Romana, cæteraque emendatiora.

Denique *ne despicias* per miosin accipi potest, *q. d.* Adeo non est despiciendus peccator pœnitens, ut singularis favor et honor ei deferendus sit, tum propter insignem Dei gratiam; tum propter heroicam animi virtutem et fortitudinem, qua animum suum frenavit, et retrorsum ab incepto cursu convertit. Sic honoramus et colimus S. Magdalenam, S. Petrum, S. Paulum, S. Pelagium, aliosque Sanctos pœnitentes. Nam, ut ait S. Gregorius: « Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. » Sapienter S. Antiochus *Serm.* 50: « Qui contumeliosus, inquit, in proximum, exprobrat quidquam delicti, suis ipse quæ alteri intexit et ordinavit, irretietur retibus, jure quidem: quæ enim seminaverit quis, hæc et metet. Is siquidem medio in discrimine destituitur Dei auxilio, quod per elationem mentis adeo non indolescit calamitati alienæ, ut etiam inclementer insultet; hic ut plurimum in eandem ruinam, nec semel prolabetur. » Exemplum dat Cassianus, *Collat.* II, cap. XIII, in sene, qui durius castigatus juvenem libidine tentatum, justo Dei judicio in eandem tentationem incidit. Quocirca solerter S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* cap. XXVII, vel juxta aliam editionem XXXVI: « Omnis, inquit, per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne, dum aliorum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. » Et B. Isidorus, lib. III *De Summo bono*, cap. III: « Non

debet, inquit, vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus servit; improbum est enim arguere quemquam in alio, quod adhuc deprehendit in semetipso. »

7. NE SPERNAS (Græce ἀτιμώσης, id est, inhonores, spernas, infamia vel ignominia afficias) HOMINEM IN SUA SENECTUTE: ET ENIM EX NOBIS SENESCUNT. — Syrus, *ne irrideas hominem qui senit: memento quod ex nobis senescunt, q. d.* Senes prodeunt e nobis, suntque nostræ ætatis et cætus complementum et perfectio; si ergo eos spernimus, nos ipsos, nostrumque cætum spernimus et inhonoramus. Non ait: *Nos senescimus*, vel *senescimus*, quia hoc sæpe falsum est: ex pueris enim et juvenibus vix decima pars senescit; plurimi enim præmoriuntur, antequam ad senium pertingant. Ait ergo: « Ex nobis senescunt, » id est, nemo nisi ex nobis senescit, omnesque nos senescere possumus; at non senescimus omnes, sed aliqui ex nobis: qui illi futuri sint, nobis incertum est: vide ergo, o juvenis, qui senem rides, tibi pariter posse obtingere, et forte re ipsa obventurum ut senescas, tuncque ridearis et ipse.

« Solent senes, ait Palacius, esse importuni, morosi, rixosi; dicunt faciuntque inepte multa. Ea causa spernuntur a multis. At indigne spernam; siquidem et ego senex ero. Non igitur spernam, ne spernar; imo contra senes venerandi sunt, ut in quibus Dei æternitas resplendet. Tu vero intellige contemptum senis esse peccatum, quod promeretur, ut, cum senuerit qui sprevit, spernatur. » Unde S. Cyprianus, *epist.* 38, Rogatianum Episcopum propter senectutem a quodam diacono contemptum, exemplo Samuelis consolatur: « Cum, inquit, Samuel sacerdos a Judæorum populo ob senectutem, sicut tu modo, contemneretur, exclamavit iratus Dominus: Non te spreverunt, sed me. Et ut hoc ulcisceretur, excitavit Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et pœnas superbum populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur. » Porro Antisthenes apud Stobæum, *serm.* 413, aiebat vitam nostram similem esse vino, quod, dum deficit, acescit; hinc senes sunt acidi et amari. Quare hæc antipathia morum et amorum æque ac annorum in senibus, fastidio est juvenibus, juxta illud Menandri: « Molestus vir est inter juvenes senex. » Et illud Comici: « Odiosa est hæc ætas adolescentulis. » Causam dat Pausanias lib. VII: « Ita natura comparatum est, ait, ut senes quavis in re juvenibus adversentur, atque in prioris obliti se juvenes aliquando fuisse, eorum sint affectibus oppido quam offensi. » De senum vitiiis vide S. Hieronymum, *epist.* 21; Plinium, lib. VII, cap. L; S. Basilium, orat. 4 *De Pœnitentia*.

Quocirca sapienter monet hic Siracides juvenes, ut senum mores ferant, cogitantes se in

eosdem quandoque casuros. Sensim enim incogitantibus obrepit senectus, tacitisque senescimus annis. Id exemplo ciconiarum declarat Plinius lib. X, cap. xxiii: « Ut ciconias, ait, nemo advenire sentit, sed advenisse; nemo discedere, sed discessisse, quod noctu clanculumque faciant utrumque: ita juventutem nemo intelligit discedere, sed discessisse; et senectutem non sentimus advenire, sed advenisse. » Sic arenam, vel aquas in clepsydra effluxisse miramur, cum fluere non viderimus. Nam, ut ait Seneca lib. III, cap. xxiv: « Quotidie, inquit, morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit; infantiam amittimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; usque ad hesternum quidquid transiit temporis, periiit. Nunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus; quemadmodum clepsydræ non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit: sic ultima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat: tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. »

Præclare S. Cyprianus, lib. *De Mortalitate*, et ex eo Rabanus: « Hæc sententia, ait, mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant; et cuncta senescant, et infirmetur fortia, et magna minuantur. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt, antequam crescant. Nec ætas in senectutem desinit, sed incipit a senectute. Sic in ortu suo ad finem nativitas properat. Sic quodcumque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit, et in fine. » Ad hanc gnomen facit Lacedæmoniorum *πρωτοπία*, sive triplicis chori cantilena, puta senum, puerorum, juvenum. Senum hæc erat cantio:

Nos fuimus olim strenui juvenuli.

Deinde puerorum hæc erat:

Præstantiores nos futuri olim sumus.

Denique juvenum hæc erat:

At nos sumus, vel experire, si velis.

Hunc chorum Spartæ instituit Tyræus, ut triplex ætatum discrimen repræsentaret. Nam pueritia ingressus est vitæ, virilis ætas progressus, senectæ exitus.

Porro senectutis commoda et incommoda, laudes et vituperia recenset Cicero lib. *De Senectute*, et Stobæus *serm.* 116 et 117, ubi citat illud Euripidis: « Quid aliud est senex, quam vox et umbra? » Et illud Antiphonis: « Senectus est velut ara malorum; ad ipsam enim omnia confugisse videntur. » Et illud Patroclis: « Senectus est vitæ hiems. » Et illud Democriti: « Senectus omnimoda imperfectio est; omnia habet et omnibus indiget. » Præclare S. Ephrem, *serm. ascetico* ad imitationem *Proverb.* 6: « Honora Dominum, inquit, et vitæ tuæ prosperabuntur. Honora sacerdotem et presbyterum, ut in te benedictio oris ipsorum

veniat. Honora senes, tanquam qui diu multumque Christo servierunt. Honora fratres tuos, velut Christi servos, ut ab ipsis diligaris. » Et inferius: « Ne senes ad opas compellas; nam carnes juventutis suæ in exercitatione attriverunt, et sufficit resta conscientia timenti Dominum. » Vide dicta *Levit.* XIX, 32, ad illa: « Coram cano capite consurge. »

8. NOLI DE MORTUO INIMICO TUO GAUDERE, SCIENS QUOD OMNES MORIMUR, ET IN GAUDIUM VOLUMUS VENIRE, — *q. d.* Cum morimur, « volumus in gaudium, » id est, quietem et pacem, quæ causat gaudium, « venire. » At hæc pax (si fieri posset) turbaretur, si sciremus inimicos nostros de nostra morte gaudere. Ita Palacius, deinde advenisse, ut Jansenius, *q. d.* Cupimus omnes in gaudia cœli introire; ideoque abstinere debemus ab omni malo, quale est gaudere de morte inimici. Verum pro volumus, ut legit S. Augustinus in *Speculo*, et alii multi, corrigendum est, *nolumus*: ita enim legunt codices Romani, Rabanus, Glossa, Lyranus. Sensus est, *q. d.* Nolumus ut, cum mortui fuerimus, inimici de nostra morte gaudeant. Ergo et nobis pari jure de inimici morte non est gaudendum. Quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris, ait prima et universalis charitatis ac justitiæ lex: solet enim Deus talionem peccantibus reddere, ut quod quis injuste aliis fecit, idem ipse juste ab aliis vicissim patiat: quocirca qui gaudent de morte inimicorum, ipsi sæpe justo Dei judicio cito moriuntur, ac mortui fiunt gaudium, irrisio et subsannatio inimicis suis. Ex Græco sic veritas, *ne insulta mortuo, sed memento nos omnes esse mortuos*; Syrus, *ne lateris super homine, qui moritur: memento quod omnes nos morimur*, id est, continuo cursu ad mortem decurrimus, ita ut vita nostra sit inchoatio mortis, imo continua et longa quædam mors, juxta illud: « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur, » II *Reg.* XIV, 14. Sapienter S. Hieronymus, vel potius S. Paulinus *epist.* 14: *ad Celant.* « Quasi, inquit, compendiosum quoddam commitorium tibi Evangelii eligenda sententia est, et superscribenda cordi tuo, quæ ad totius justitiæ brevium Dominico ore profertur: Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc vos facite illis; ejus præcepti vires exprimens jungit: Hæc enim lex est et Prophetæ. Ad omnem actum, verbum, cogitatum hæc sententia retrahitur, quæ tibi quasi speculum quoddam paratum, et ad manum semper positum, qualitatem tuæ voluntatis ostendat, ac etiam vel de injusto opere redarguat, vel de justo lætificet. »

Alludit ad illud Salomonis *Proverb.* XXIV, 17: « Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, et displiceat ei. » Et ad illud *Job.* XXXI, 29: « Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat; et exultavi, quod invenisset eum malum. » Ille de causa Deus minatur et intentat ex-

cidium Idumæis, eo quod ipsi lætati essent in excidio Judæorum per Chaldæos, *Ezechiel.* XXXV, 15: « Sicut gavisus es, inquit, super hereditatem domus Israel, eo quod esset dissipata, sic faciam tibi: dissipatus erit mores Seir et Idumæa omnis. » Et Jeremias, *Thren.* IV, 21: « Gaude. ait, et lætare, filia Edom; ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis. » Et *Psal.* XXXVI, 7: « Memor esto, Domine, filiorum Edom in die (excidii) Jerusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. »

Sapienter Virgilius, lib. X *Æneid.*, cum narrasset Turnum Pallanti a se occiso insultasse, ejusque balteo ovantem se accinxisse, admonens subjicit:

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ,
Et servare modum rebus sublata secundis;
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque
Oderit.

Nam ideo Turnus in duello occisus est ab Ænea, eo quod videret eum accinctum balteo sui Pallantis. Sic enim Turno strato et supplicii insultat Æneas lib. XII *Æneid.*:

Tunc hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, et penam scelerato ex sanguine sumit.

Præclare S. Gregorius in locum jam citatum S. Jobi, XXII *Moral.* cap. VI: « Sciendum, inquit, est, quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur. Nam sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere æstimat, si ejus vitæ contrarius non existat. Sed dilectionis vim occulte et veraciter, aut profectus inimici, aut casus interrogat. Hæc etenim de re ad plenum semetipsam mens hominis nescit, nisi eum, quem sibi adversarium credit, in defectu vel profectu mutasse modum sui status invenerit: si enim de prosperitate addicitur, et de calamitate se odientis lætatur, constat, quia non amat, quem non vult esse meliorem; eumque etiam stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur. » Subdit deinde casum, quo licet gaudere de casu inimici, scilicet ob noxam, quam aliis injuste infert. Ait ergo: « Sed inter hæc sciendum est, quia evadere plerumque solet, ut non amissa charitate et inimici nos ruina lætificet, et rursus ejus gloria sine avidia culpa contristet: cum et ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. Qua in re mentem nostram, nec ejus jam defectus erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra cogitatio non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur, attendit. Sed ad hæc scrutanda valde est necesse sarium subtilissimæ discretionis examen; ne, cum nostra odia exsequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ. »